



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Iosepho Kentio, amico suo, regiarum partium spectatissimo viro, Romæ hospiti. Ob victoriam Anglorum naualem contra Batauos à Iacobo Duce Eboracense, Regis Fratre vnico, gloriose reportatam, hortatur, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Si ludere hoc est? O vtinam vigil
 AEquem iacentis somnia! vel meæ
 Sint otium curæ sagaces
 Tale, pigram superabo Lethen .

IOSEPHO KENTIO,
*amico suo, regiarum partium spectatissimo vi-
 ro, Romæ hospiti .*

*Ob victoriam Anglorum naualem contra Batauos à
 Iacobo Duce Eboracense, Regis Fratrem unico, glorio-
 se reportatam, hortatur, præter plausum, secum
 etiã indulgere Genio . Sub Pentecosten M. DC. LXV.*

O D E XXVIII.

KENTI, note animi pij
 In regem & patriam tempore nubilo,
 Se dùm quæreret Albion:
 Quem non blanditiæ, non furia truces,
 Non totus Cromoëllius,
 Dimouêre fide legibus additâ:
 En læti noua pectoris
 Argumenta tibi. Sors nequè enim mala
 Durat perpetuò: inuicem
 Iucundis Aquilo cedit Etesijs.
 Nunc plausum ingemina; citi
 Nunc tellure micent ad numerum pedes;
 Nunc vino atquè epulis vaca;
 Formentur Salij murmure turbines.
 Victori placitum Duci,
 Insanire. Quies arguit inuidos.
 Felix deuocat horreo
 Primæ Fama notæ sepositam hactenus
 Testam; perdomitos mari
 Paucis cum trabibus vix Batauos fugâ
 Declinâsse ferociam
 Nostrorum: effugium si rāmen eripit.

H

Opda-

Opdamus prior agmine
 Stipabat forulis grandia vincula
 Anglorum pedibus minax .
 Ulturusquè patris funera Trompius
 Quid non dixerat, impotens
 Sperare inferias sanguine ab extero ,
 Iactator ? Sed inanibus
 Verborum iaculis opposuit fera
 Frater sulphura Regius ,
 Flammarumquè faces, ac celeres globos :
 Quo ceù fulminis alite
 Exarsère rates, ictus inhorruit
 Præfectus miserâ nece ,
 Prædæquè, & validæ compedis immemor .
 Hæc strati species viri
 Deterret socios, territat asperum
 Contactu modò Trompium ;
 Nè magnis catulus fræna leonibus
 Intentet . Sua iam salus
 Est illi potior vindice mortui ,
 Præ se quem tulerat, patris .
 Ergò reliquias sanguineo trahens
 Bis centum sale nauum ,
 Noto, quâ potuit, littore condidit :
 At non versa sefellerant
 Anglum terga ducem deficientium ?
 Is portum tenet vndiquè
 Cinctum victor ouans, vt nequè progredi
 Quenquam, nec velit addere .
 Totum curta dies perficiet decus .
 Salve, clare Britannice;
 Sic, sic te metuant nominis Angliçi
 Hostes, aut patriæ æmuli .
 KENTI, mecum hodiè (dulce caput) fatur
 Viues & dapis & cadi :
 Oprato decet hoc reddere nuntio .
 Imponam mihi Lauream
 Festâ luce, tulit dextera quam tua

Pictis Parthenopes iugis ,
 Nutritam vegeto sanguine Virgilî :
 Cantu pocula diuidam .
 Myrti fronde comas te magis addecet
 Ornare, integrâ amyftide
 Haufurum sobolis nomina regia .
 Chij da latices, puer ,
 Aut quod Lesbos habet, fiuè Neapolis .
 Albanum vero debile ;
 Romanis potiùs linquito fœminis .

EDVARDO NOELLIO,
 CAMDENI DYNASTAE HAEREDI FILIO .

*Cupienti legere aliqua carmina Ghibbesij, submittit ille
 verecundè, ut perito artificio, eius ipsius laudes, quò
 gratius accidat munus .*

ODE XXIX.

Nostri carmina pectinis
 Exaudire cupis, Castalidum, NOEL ,
 Phœbææquè potens lyræ,
 Nec tu parua togæ fama Britannicæ .
 Neptuno quis aquam ; nouas
 Floræ veris opes ; cæcuba Libero
 Ostendet ? decus attamèn
 Affecto imperij, atquè arripio libens ,
 Thufci Flaccus vti ducis .
 Dignum spe sed enim quid modò profluet
 Tantâ ? nobile sapiùs
 Argumentum humiles oçculuit sonos ,
 Aut euexit ad æthera .
 Hac nos arte tui munera pectoris
 Tollemus, rapidi simùl ,
 Quantumuis tenues . Hac ope proderit
 Te monstrare tibi . Genus,
 Nec cæra veteres, nec domus ardua ,